2 08368 aa 55

EXCERPTA è STATUTIS

COLLEGII

DE

GONVILLE & CAIUS

IN

ACADEMIA CANTABRIGIENSI,

ATQUE ETIAM EX

ACADEMIÆ STATUTIS.

CANTABRIGIÆ:
MDCCXCII.



EXCERPTA è STATUTIS

DOCTORIS CAII.

XV. *De Electione noſtrorum Scholaſticorum.*

SECERNANTUR omnes Scholares per Cuſtodem, ubi venerint, aut per Præſidentem, ſi abſit Cuſtos; ſed conſentiente priùs Eo: & proponantur eligendi Sociis Hi, quos Cuſtos approbaverit; diligenter priùs examinati, per tres Dies in Sacello publicè, primo Die per Scholaſticos, per inſequentes duos Dies per Decanum & Socios omnes præſentes, quàm eligantur; an ſcribant ſcitè, an Grammaticen calleant perfectè, an Græcè ſciant, & an Carmen componant; Obſervatione etiam habitâ, an ſint proborum Morum, an bonæ Indolis & Spei, an ingenioſi, an dociles, an diligentes: qui his Qualitatibus præditi ſunt, habiles ſunto, cæteri inhabiles.

Cujus rei judicium eſto penes Cuſtodem et majorem ſociorum partem ſine corruptione aliqua quam maximè damnamus in electionibus. Et ſi qui ambiant, literis et virtutibus ambiant non favoribus.

Quòd ſi quando Cuſtodi & majori Sociorum Parti Scholaſtici videbuntur Vitiis dediti, ſine ſpe reſipiſcendi, aut Negligentiâ vel Naturâ indociles, inobedientes, protervi, aut rebelles, excludantur; & alii habiles ſufficiantur.

34 13

Ad hunc Modum Omnes Collegii Veſtri Scholaſtici ſecernantur, habiles & Ætate & Perſonâ cenſeantur, examinenter, eligantur, probentur, retineantur & rejiciantur.

Volumus etiam, ut unuſquiſque, finito primo Regentiæ ſuæ Anno, coram Cuſtode & Sociis profiteatur, cui ſe velit Scientiæ & Vitæ inſtituto addicere; & in Libro Actorum referatur, quò Studia, Exercitationes, & cætera Vita Profeſſioni reſpondeant. Stat. 10.

XVI. *De Obendientiâ, Moribus, & Studio Scholaſticorum.*

OBEDIANT Scholaſtici omnes Cuſtodi & Præſidenti; obediant etiam Decanis, qui eorum Moribus formandis & Eruditioni augendæ, cum Diſciplinâ aut ſecus, intendant.

Volumus etiam ut omnes Scholaſtici, atque in univerſum omnes, qui in aliquo Gradu Honoris Literarii fuerint, modeſtè & reverenter erga Superiøres ſe gerant, tum Domi, tum foris, ubicunque in Academiâ eos convenerint aut eis obviam fuerint *.

Dent Operam Linguæ Græcæ & Latinæ, Scientiis liberalibus eâ Linguâ, quâ quæque ſcripta ſunt; præcipuè Logicæ & Rhetoricæ; dein utrique Philoſophiæ Naturali & Morali: in eis ſe exerceant, Cauſas dubias contravertendo ſolito More in Aulâ, ab Horâ tertiâ ad quartam, et Latinè ſemper loquendo, moderante Decanorum altéro. Volumus etiam ut teneant Artem Numerorum hoc eſt Arithmeticam.

XVII.

* Vide Stat. Acad. Cap. XLVII. p.

XVII. *De Exercitio Scholaſticorum & Penſionariorum.*

STATUIMUS ut Scholares, & Penſionarii minores per ſe ſuo Loco, Tempore atque Ordine diſputent; quiſque in ea Facultate quam profitetur.

Et nè ulla intermittatur Quæſtio ſeu Problema Scholaſticorum & Penſionariorum minorum ab horâ tertiâ ad quartam ſingulis Diebus (in quibus Lectiones quoque ſint ſuis Horis) in Terminis, omnino Conſtituimus: quòd nihil æquè confirmat Studia atque Exercitum; nec quicquam perindè ſtimulat, accenditque ad Studia, atque Rei malè gerendæ Verecundia, aut benè actæ Gloria. Et quia quævis Diſputatio & Lectio unius tantùm eſt Horæ integræ, pellendæ omnes Moræ in Initiis ſunt.

XVIII. *De Declamationibus.*

IDEM ſtatuimus de Declamationibus, ſingulis Diebus Sabbati ſub Veſpere, à Juventute pertractandis.

Si quis Scholaſticus abfuerit à ſuis Diſputationibus, Lectionibus, & aliis Exercitiis Scholaſticis; aut ſi ibi fuerit, nec tamen permanſerit ad Horam unam integram, aut ampliùs; aut ſi tardus venerit; pro Diſcretione Decanorum, per eos aut eorum alterum, mulctetur aut caſtigetur.

XIX. *De Lectionibus & Reverentia Baccalaurearum.*

STATUIMUS etiam & ordinamus ut Artium Baccalaurei, ſive Socii fuerint, ſive Penſionarii, ſub Pœnâ quinque Solidorum audiant Lectiones

nes ordinarias utriuſque Philoſophiæ, prælegente Decanorum altero in Aulâ manè ſingulis Terminis, eâ Diligentiâ, & majori ad tuendam Exiſtimationem, quâ cùm adhuc Sophiſtæ eſſent, uſque dum Magiſtri Artium fuerint; ne Otio torpeſcant, Licentiâ inſoleſcant, neve ſibi alioqui perſuadeant omnia ſibi licere, nullis Legibus aut Literarum aut Civilitatis obligari, ſuo Arbitratu poſſe malè feriari, & bonas Horas in ſuam Perniciem malè collocare.

Volumus etiam ut Baccalaurei, Socii & Penſionarii, eâ utantur Reverentiâ, & domi & foris, in Cuſtodem, Doctores, Decanos, Baccalaureos Theologiæ, & Magiſtros Artium, quâ uſi ſunt, antequam in Societatem & Gradum aſciti ſunt.

XX.

DILIGENTER ad Lectiones veniant Scholares et Penſionarii; cupio enim ut omnibus Modis omnes docti ſint & civiles, Decorumque obſervent; ad Reipublicæ Uſum, & ſui Commodum & Honorem, ſeu (ut vulgò dicimus) Honeſtatem.

XXII. *De Impedimentis Studiorum.*

ORDINAMUS etiam, nè quis Animalia ulla ad Uſum Venationis aut Aucupii, Deliciaſve alat aut utatur in Collegio; nè Studentium Animi à Studiis avocentur: nève inter Collegii Limites ſagittandi Metas erigat, Sphæriſterium conſtituat, aut Axim jaciat, eâdem de Cauſâ: hæc, ſub Pœnâ Expulſionis; illa, ſex Solidorum & octo Denariorum totiens quotiens.

XXIII.

XXIII. *De Tabernis alariis, Luſibus & Cubitu*.*

STATUIMUS item, nè quis Collegii veſtrii frequentet Tabernas alarias, aut Œnopolia, niſi Advenæ, Parentis, aut Hoſpitis, Cauſâ, ſemel tantum aut bis in Anno, nec ullâ de Cauſâ Loca infamia aut ſuſpecta: nec cubent alienis Cubiculis, ſed ſuis; nec extra Collegium pernoctent, ſed intra; nève Luſus illicitos exerceant aut frequentent.

Statuimus etiam nè vagos Mimos (qui Lucri cauſâ ſtultos Luſus ſtulto Popello repreſentant) in Diverſoriis inviſant; nève Taurorum, Urſorum & Canum Certaminibus interſint. Nam ut hæc ſtultæ, vagæque Multitudini ſunt aptiora, ita liberalium Studiorum Hominibus parùm ſunt accommoda; tum quòd ſolutis Tauris atque Urſis ſunt periculoſa, tum quòd nova hæc Oblectamenta Rei ſuæ neſciæ Juventuti Literarum Deſideria extinguunt, Rem diminuunt, bonas Horas conſumunt, & ex Hominibus Brutos faciunt. Qui aliter fecerint, ſi adultus fuerit, Mulcta eſto duorum Solidorum & ſex Denariorum; ſi non adultus, gravis Correctio.

Sint Scholaſtici in Cubiculis Horâ octavâ poſt Meridiem; neque egrediantur niſi cogente Naturâ, aut gravi Cauſâ, per Cuſtodem, aut eo abſente Præſidentem, approbandâ: qui ſecùs fecerit, ſingulis Mulcta eſto ſeu Correctio, prout alterutra cuique conveniat, pro Judicio Cuſtodis, aut, Eo abſente, Præſidentis: & eò gravior, ſi quod interdiu poſſit tranſigi, id in nocturnum Tempus ſit dilatum, ut egrediendi ſit Excuſatio.

XLVI.

* Vide Stat. Acad. Cap. XLVII. p.

XXIV. *De Decanis.*

DECANORUM Officium eſto Juventutem Doctrinâ inſtituere, Mores omni in Loco componere, ut ad Preces veniant diligentes eſſe, nè Anglicè ſed Latinè loquantur curare, corruptè loquentes docere, Diſputationibus præeſſe, Diſputantes dirigere, maleficos caſtigare, ſtudioſos laudare, & præferre, nè abſint à Cubiculis Horà octavâ ſub Noctem circumſpicere, ſub Pœnâ quinque Solidorum totiens quotiens.

XLVI. *De Orationibus* *.

ORDINAMUS ut publicis ſeu communibus Precibus & aliis Divinis Officiis feſtivis Diebus, ſeu matutinis ſeu veſpertinis, omnes Penſionarii & Scholares interſint: alioqui Mulcta eſto cuique Penſionario aut Scholari abſenti aut tardanti primâ vice duo Denarii; ſecundâ Vice, tres Denarii; tertiâ, octo Denarii: at quartâ, & ſic deinceps, Major Mulcta eſto, aut Correctio, pro Diſcretione Cuſtodis, aut, eo abſente, Preſidentis. Uſque adeò grave judicamus Homini Sapientiæ ſtudioſo non fudiſſe Preces, aut, non egiſſe Gratias Authori omnis Sapientiæ †.

L. *De Verbis indecoris, Armis non geſtandis, & Pugnâ.*

STATUIMUS præterea nè quis veſtri Collegii utatur aut in Collegio aut extra Verbis indecentibus, contumelioſis, opprobrioſis, aut quibus ineſt

* Vide Stat. Acad. L. p.
† Vide Stat. Acad. L. p.

ineſt aliquid Scommatis, Irriſionis, aut Convitii in Cuſtodem, aut ejus Locum tenentem, aut in Socium veſtri Collegii aliquem: ſed contrà, ut omnem debitam & decentem Reverentiam in Verbis & Actionibus Cuſtodi & Præſidenti exhibeat, & fraterno Amore, Sermone & Actione omnes complectatur; ſub Pœnâ imponendâ pro Ratione Delicti, & Judicio Cuſtodis, aut Eo abſente Præſidentis.

Quòd ſi quis Arma geſtaverit, intra Collegii Præcinctum, ultra Cultellum ad Ciborum Uſum, aut violentas Manus cuiquam injecerit vellicando, aut percuſſerit malè tractando, aut quoquo Modo pugnando, Mulcta eſto quadraginta Solidi. At ſi Cuſtodem aut Præſidentem vel levitèr percuſſerit, expellatur. Si verò Sanguinem detraxerit, aut abutatur Cultello cibario, aut non deponat juſſus, expellatur Collegio & omni Collegii Beneficio ipſo facto, & ſolvat Libras tres.

LI. *De Reis Infamiæ.*

IDEM de reis Infamiæ, propter aliquod grave Crimen, per Cuſtodem & majorem Sociorum Partem judicatis, ſtatuimus.

LII. *De Abſentiâ.*

CONSTITUIMUS etiam, ut unuſquiſque, datâ Veniâ quoquam profecturus, in Libro Rerum memorabilium apud Cuſtodem, aut eo abſente Præſidentem, ſuâ Manu, & Diem quo profecturus eſt, & quo rediturus eſt, ſcribat.

LIII. *De Abſentiâ nocturnâ, & Portis claudendis.*

STATUIMUS etiam ut omnes Collegii Portæ, omnibus totius Hyemis Noctibus, concludantur cum primis Tenebris, ſeu Crepuſculo, non referandæ ante Lucem ſequentis Diei; præter Portam Collegii Gonevilli, quam occludi quidem volumus cum primis tenebris, ſed ad Ingreſſum reſerati per Janitorem.

At poſt clauſas Portas atque Feneſtras, qui aliunde ingreſſus aut egreſſus fuerit, expellatur Collegio in æternum.

LVI. *De Abſentiâ Scholaſticorum.*

ORDINAMUS inſuper, ut Stipendiis omnium Scholaſticorum Fundationis hujus Collegii, qui abfuerit ultra Menſem continuum vel diſcontinuum in toto Anno, ſubtrahantur in Septimanas ſingulas ſex Denarii, uſque dum redierint. Quòd ſi intra Menſes tres non redierint, priventur omni ſuo ſtipendio in æternum.

Statuimus etiam nè Scholaſtici quoquam divagentur, ſine Licentiâ Cuſtodis, aut eo abſente Præſidentis, ſub Pœnâ trium Solidorum & quatuor Denariorum; ut ſi Morâ in Collegio opus ſit, non abſint, ſed ſemper præſtò ſint.

LXII. *De Catalogo Ingredientium, ſeu de Matriculatione.*

INSUPER Statuimus, ut ſinguli Socii qui pro Tempore fuerint, in Tutelam ſuam Scholaſticos admiſſuri, in primo eorum Ingreſſu in Collegium, ante exactas Horas viginti quatuor, Rem (adductis

Diſ-

Diſcipulis) referant Cuſtodi, aut eo abſente Præſidenti; & relatis eorum Nominibus in Catalogum per Secretarium; examinatoque per Cuſtodem aut eo abſente Præſidentem unoquoque, ſintne Grammatici an non, detur commorandi Venia, Locuſque aut ſecùs. Non enim volumus, ut quis recipiatur in Collegium, qui Grammaticus non eſt; nè ex Univerſitate fiat Schola Grammaticorum, quo Nomine hodiè malè audit Academia.

LXIV. *De Obedientiâ Penſionariorum & Solutionibus.*

OBSERVENT omnes Penſionarii omnia Statuta Collegii ſe concernentia. Obediant Cuſtodi, & eo abſente, ejus Locum tenenti; nec ſe intromittant Collegii, aut Collegarum Negotiis aut Diſcordiis, nec Damnum faciant nec procurent: Et cùm diſcedendum eſt Debita perſolvant.

LXV. *De Tutore & Fidejuſſore Pupillorum & Penſionariorum, & Solutionibus.*

STATUIMUS inſuper & ordinamus, ut omnes Scholaſtici & Penſionarii habeant Socios Collegii Tutores & Prædes, nè quid Damni aut deſperati Debiti Collegio accidat; utque ſi quod Damnum incidat, aut Debitum, Tutores & Prædes ſeu Fidejuſſores præſtent.

LXVIII. *De Menſâ communi.*

AD hæc Statuimus & ordinamus, ut omnes & ſinguli Socii & Penſionarii majores veſtri Collegii, in Univerſitate exiſtentes, in Menſâ communi

 vivant,

vivant, ſuis ipſorum omnium Sumptibus, ſub Pœnâ Pretii Commeatûs communis ſingularum Septimanarum, in quibus à Menſâ vel ſemel uno Die abfuerint, perſolvendi in Uſus Collegii; niſi gravi aliquo Morbo, per Cuſtodem aut ejus Locum tenentem approbando, in Cubiculis detineantur, ut egredi non poſſint ſine Valetudinis Diſpendio.

Idem etiam obſervandum Statuimus Scholaſticis in ſuâ Menſâ communi, ſub Pœnâ duodecim Denariorum, in Commeatum communem reliquorum Commenſalium, ſingulis Septimanis, quibus ſine Licentiâ abfuerint vel ſemel uno Die, perſolvendorum.

LXXIII. *De Mulctâ ſolvendâ.*

STATUIMUS inſuper, ut nemo Mulctam ſibi pro Offenſâ, ſecundùm Statuta inflictam, ſolvere recuſet, cum requiſita fuerit, ſub Pœnâ Deprivationis ab omni Collegii Beneficio, uſque dum perſolverit.

LXXIV.

STATUIMUS etiam, ut ſi quis à Cuſtode aut Præſidente juſſus, ut è Cubiculo aut Menſâ diſcedat, cùm quid perpetraverit, ob quod nec Uſum Cubiculi aut Menſæ habere poterit ex Statuto, vel ad Tempus vel in æternum, Vi reſtiterit, nec obedierit, Vis Vi repellatur, ſine Perſonarum Nocumento, & foris ejiciatur è Cubiculo aut Menſâ, & excludatur Collegio & omni ejus Beneficio in æternum.

Ad poſtremum, ſi proviſum ſufficienter non ſit omnibus incidentibus, volumus & Statuimus, ut Offenſarum Punitio atque Mulcta penes Judicium & Diſcretionem Cuſtodis, aut eo abſente Præſidentis, ſit; ſed cum Conſilio Cuſtodis.

LXXVIII.

LXXVIII. *De Atrii munditie.*

VOLUMUS etiam et ordinamus ne quis Collegii Muros aut Portas permingat; Atrium aut Hortos Aquâ aut Urinâ defædet; aut Lignis, Oſſibus, aliiſve quibuſcunque Rebus occupet aut conſpergat.

EXCERPTA è STATUTIS ACADEMIÆ

Stat. Vet. de MATRICULATIONE.

Lib. Proc. Jun. fol. 157.

IN *Cenſendo* formulam hanc obſervanto. *Incenſus* qui fuerit, Academiæ Scribam adito, & nomen ſuum & Tutoris, menſamque & convictum in quo fuerit, profitetor; *Cenſûſque* nomine pecuniam præſcriptam pendito: tunc præeunte Procancellario, vel cui hoc ille mandaverit, qui eorum pubes fuerit, in hæc Academiæ verba jurato.

Cancellario, Procancellarioque Academiæ Cantabrigienſis, quatenus jus faſque eſt, & pro Ordine in quo fuerim, quamdiu in hâc Republicâ degam comiter obtemperabo: leges, ſtatuta, mores approbatos, & privilegia Cantabr. Academiæ (quantum in me eſt) conſervabo: pietatis & bonorum Literarum Progreſſum, & hujus Academiæ ſtatum, honorem, dignitatem tuebor quoad vivam, meoque ſuffragio atque conſilio, rogatus ac non rogatus, defendam. Ita me Deus adjuvet & S. Dei Evangelia.

Qui

Qui dies ſtati ſunt, ut in illis *Cenſus* agatur, in his omnes qui Collegiis præſunt, quive eorum Vicarii pro tempore fuerint, Procancellario & Procuratoribus, ſi vocati fuerint, adſunto; coramque eis, qui in illis ædibus, quibus præſint, *incenſi* in illo tempore fuerint, ſiſtendos *cenſendoſque* curanto. Illis diebus omnes, qui ante *cenſi* non fuerint, *cenſentor*. Qui *cenſeri* recuſat eo modo ac formâ, quæ ſuperiùs ponitur, & poſt peractum *Cenſum* incenſus manſerit, eum Collegii quicunque Magiſter, Præſes, Præpoſitus fuerit *Domo*, cui præeſt, convictuque, in quo fuerit, pellito: nomen ejus è *Tabellâ* tam Pocillatoris quàm Coqui deleto, cubiculo exigito, manere uſquam in Cantabrigiâ tanquam Scholaſticum ne ſinito.

E STATUTIS Eliz. Regin. An. 1570.

PRÆFAT.

Deum timento, Regem honorato, virtutem colito, diſciplinis bonis operam dato. ——

CAP. VI.

De ratione Studiorum; & quibus modis ad altiores gradus dignitatis Juvenes promoveantur.

PRIMUS annus Rhetoricam docebit, ſecundus & tertius Dialecticam, quartus adjungat Philoſophiam; & Artium iſtarum domi foriſque, pro ratione temporis, quiſque ſit Auditor. In hoc quadriennio bis quiſque Diſputato in Publicis Scholis, bis

bis reſpondeto in ſuo grege. Quæ ſi perfecerit, & poſt conſuetum examen dignus videatur, poſt completum quadriennium, & non antea, Baccalaureus eſto. Ita tamen, quòd priùs reſpondeat Quæſtioni, & ſtet in Quadrageſimâ more conſueto uſque ad poſtremum Actum, & ſuper his Cautionem realem exponat.

CAP. VII.

De Bacc. Artium.

HI Auditores aſſidui Philoſophicæ Lectionis, Aſtronomiæ, Perſpectivæ, & Græcæ linguæ ſint; idque, quod inchoatum ante erat, ſuâ induſtriâ perficiant. Intererunt cunctis M. Artium Diſputationibus aperto capite, nec inde abibunt niſi à Procuratoribus petitâ veniâ. Baccalaureus quiſque ter reſpondebit Magiſtro objicienti; bis in ſui gregis exercitatione reſpondebit, declamabitque ſemel. In his ubi juſtum trium annorum ſpatium verſatus fuerit, & hæc illum perfeciſſe conſtiterit, poſtquam ſolenniter productus fuerit, cooptabiter in Magiſtrorum ordinem.

CAP. XXII.

De Diſputationibus Sophiſtarum.

ORDO Diſputationum hic eſto. Inter Sophiſtas veterrimus ſe Reſponſorem exhibeat, & ordine ſequentur alii juniores ad finem illius anni. Primus dies Termini erit dicimus Octobris. Non reſpondebit niſi qui ſecundum annum expleverit. Tres principes Quæſtiones proponat, unam in Mathematicis, alteram in Dialecticis, tertiam in Philoſophicis naturalibus, aut moralibus; quas triduo ante affiget valvis

valvis Scholæ ſuæ: cæteri contra diſputanto. Ubi Reſponſor hæſitaverit Moderator * alter, ſi poſſit, nodum diſſolvito. Tempora earum Diſputationum erunt diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, & Veneris à primâ poſt meridiem ad tertiam. Scholæ Moderator per ſingulas Diſputationes tres ſuo arbitrio permittat, vetuſtatis ordine, argumenta Reſpondenti proponere, præter principalem Diſputatorem.

CAP. XXIII.

De Bacc. Diſputationibus.

BACCALAUREORUM Diſputationes fient die Veneris à nonâ ad undecimam, ſi nulla tunc Magiſtrorum ſit Diſputatio; tunc enim fient ab horâ primâ ejuſdem diei uſque ad tertiam. Reſpondebit non niſi Baccalaureus ſecundi anni: incipiet veterrimus, & ordine reliqui ſequentur. Contra diſputabit unus ſuo ordine, cui Scholæ Moderator † adjungat quatuor, aut plures, pro ſuo arbitro in ſingulis Diſputationibus, qui argumenta Reſpondenti objiciant. Qui curſum ſuum in reſpondendo omiſerit, decem ‡ Solidis multetur; qui verò opponendo curſum omiſerit, tribus § Solidis & quatuor denariis.

CAP. XXIV.

De Declamationibus Bacc.

BACCALAUREORUM Declamationes erunt diebus Sabbati ab horâ octavâ ad nonam ante me-

* *Jam* Magiſter Artium, *ex Decreto Senatûs, An.* 1680.
† *Nunc* Magiſter Artium, *ex Senatûs Decreto An.* 1698.
‡ Viginti *jam* toties quoties, *per Literis Regias Car. 2di.*
§ Decem *jam* toties quoties, *per Lit. Predict.*

meridiem. Primâ verò hebdomadâ duo ordine Baccalaurei unum Thema tractabunt, cujus contrariam partem duo alii defendent hebdomadâ ſequente, ſub pœnâ quinque* Solidorum, ſi quis curſum ſuum omiſerit.

XLII. *De poteſtate Cancellarii.*

CANCELLARIUS poteſtatem habebit, ad homines dignos gradibus ſcholaſticis ornandos, ad indignos rejiciendos ab iiſdem et repellendos, ad omnes ſtatutorum violatores puniendos; ad ignavos, graſſatores, rei ſuæ diſſipatores, contumaces, nec obedientes ſuſpenſione graduum, carcere, aut alio leviori ſupplicio, judicio ſuo caſtigandos, et cum conſenſu majoris partis præfectorum collegiorum exilio mulctandos. Quicquid ſtatutis noſtris academæ cancellario faciendum attribuitur, in ejus abſentiâ hoc idem à procancellario fiat. Eidem cancellario cum conſenſu totius academiæ licebit nova ſtatuta ad eruditionis amplificationem, et honeſti atque decori conſervationem inter ſcholaſticos habendam ſancire, ſic ut ea his decretis noſtris nihil detrahant aut officiant.

CAP. XLVI.

De veſtitu Scholarium.

STATUIMUS ut nemo ad aliquem in Univerſitate Gradum evectus, niſi togâ talari, caputioque, ordini congruente — indutus, Collegio exeat: contra delinquentes 6*s.* 8*d.* pœna ſit. Et ſi quiſquam Diſputationi Publicæ in ſuâ Facultate, Publicis in Eccleſiâ B. Mariæ precibus, Concioni ad Clerum, Sepulturis, Congregationibus ſine togâ,

* Viginti *jam* toties quoties, *per Lit. Predict.*

habitu & caputio Gradui ſuo conveniente, juxta antiquum Academiæ morem *, interfuerit, eandem mulctam incurrat. Item Statuimus ut Socii cujuſque Collegii, & Graduati qui non ſunt Socii, dum moram traxerint in Univerſitate, ſuperiore pileo Scholaſtico & quadrato (niſi ægrotaverint) utantur, & non alio, tam in Collegio quàm extra Collegium, ſub pœnâ prædictâ. Prohibemus etiam ne quis Scholarium, cujuſcunque conditionis ſit, galero utatur aut in Collegio aliquo, aut extra Collegium (niſi ægrotaverit) ſub pœnâ eâdem quoties deliquerit. — Socii, diſcipuli, & Penſionarii ſingulis Dominicis & Feſtis diebus in chorum honeſto cum apparatu & ſuperpelliciis tecti veniant. Graduati autem cum Caputiis Gradui convenientibus ſub pœnâ 12*d.* Quod ſi quis, a Magiſtro Collegii requiſitus, Chorum ingredi cum Superpellicio & Caputio neglexerit, vel recuſaverit, tempore publicarum precum, pro primâ vice commeatu unius Septimanæ, pro ſecundâ duarum, pro tertiâ menſis multabitur; pro quartâ Collegio privabitur. Nec ullum ſecum librum afferant, qui non vel Scripturæ pars ſit, vel ad ſcientiam Scripturæ pertineat.

CAP. XLVII.

De modeſtiâ & morum urbanitate.

MODESTIAM ſuo ordini convenientem omnes omnibus in locis colant, præſertim in concionibus

* Ad hunc fere modum Eliz. 1*mo* Statutum eſt. *Scholaſtici omnes, & gradibus literariis ornati, ejuſmodi utantur veſtitu, qui illarum ædium, in quibus ſunt, Statutis præſcribitur: ubique autem honeſtus ſit & decorus; pilei verò Scholaſtici, & quadrati. In Publicis autem conventibus, Scholis, Congregationibus, Diſputationibus ſuæ facultatis, cæteriſque cætibus eo apparatu veſtium, qui ſingulis Gradibus antiquo Academiæ more conſtitutus eſt, ſinguli utantur.*

cionibus & congreſſibus publicis: inferiores ordines ſuperioribus loco cedant, & debitâ reverentiâ proſequantur. Hujus rei violatores, ſi non fuerint adulti, virgâ à ſuis coerceantur; ſin adulti, primò, aſperè verbis caſtigentur; Secundò, hebdomadæ commeatu; Tertiò, menſtruo commeatu; Quartò, è Collegio ejiciantur.

Aleæ nullo tempore, chartæ pictæ non niſi Chriſti nativitatis tempore (*i. e.* duodecim diebus tantùm poſt diem Nativitatis) idque moderatè & idoneo tempore, in Aulis tantùm uſurpentur, ſub pœnâ expulſionis poſt ſecundam admonitionem.

Quotidianæ oppidi frequentationes, ſeſſiones in oppido diurni & nocturni temporis, & pecuniæ inanes collationes minimè uſurpentur. Nulla gladiatoria, laniſtaria, aut Saltatoria ſchola, nec domus aleatoria, nec Galli prælium, aut urſorum aut taurorum pugna intra oppidum Cantabrigiæ ſit, aut frequentetur, ſub mulctâ quadraginta Solidorum ei imponendâ, qui hoc ſtatutum, aut aliquam ejus partem, violaverit. Nullus ex Scholaſticis ſcutis ludat, nec otioſus eorum qui ludunt, Spectator adſtet, vel Galli prælio adſit, aut luſui gladiatorio, aut Saltatorio, aut urſorum vel taurorum pugnæ, ſub pœnâ trium ſolidorum & quatuor denariorum quoties in hâc re peccaverit.

Statuimus etiam, ut nemo, Cujuſcunque gradûs aut ordinis fuerit, (publicos privatoſque Magiſtratus excipimus in executione officiorum ſuorum occupatos) forum frequentet, vel diutiùs in aliquâ oppidi plateâ moretur, ſub pœnâ duorum ſolidorum, quoties quis deliquerit, imponendâ; neque quiſquam Scholaris, cujuſcunque gradûs aut ordinis fuerit, in conventibus, quos *Seſſiones* vocant, Judice pro tribunali ſedente, in illum cætum ſe ingerat, niſi priùs

petitâ à Cancellario veniâ. Qui ſecus fecerit, viginti Solidis puniatur. In nundinis Sturbrigienſibus, vel iis, quæ ad feſtum Sancti Johannis Baptiſtæ tenentur, deprehenſus infra Gradum Magiſtri in Artibus (niſi ſpeciali licentiâ Præfecti Collegii, vel, eo abſente, vices ejus gerentis ſe defendat) tres Solidos & quatuor Denarios nomine pœnæ pendat. Inhibemus ne eorum quiſquam, qui in oppido tabernas, aut cauponas aperiunt, vel cibaria vendunt, aliquem Scholarem ad menſam, commeſſationes, compotationes, luſum, moram, noctu aut interdiu, in ſuas popinas, tabernas, diverſoria recipiant, vel apud ſe latere patiantur; mulctam, qui in hanc ordinationem offenderit, incurret quadraginta Solidorum in uſus Univerſitatis applicandorum pro primâ, & ſecundâ, vice; tertiò autem ſic, ut præfertur, Scholares recipiendo delinquentes, ultra prædictam pecuniarum mulctam, nè popinas, tabernas, hoſpitia, aut diverſoria aperiant neve eſculenta aut potulenta in poſterum vendant, omninò interdicantur. Baccalaurei tamen Legum, Medicinæ, Muſicæ, Artium Magiſtri, & ſuperiores gradus (Pupilli etiam Tutores comitantes, vel ad parentes, & amicos in oppidum tanquam hoſpites adventantes, accerſiti) ſolummodò ad prandium & cœnam impunè recipi poſſunt.

STATUTI *præcedentis* Interpretatio, *ſeu* Decretum *de auferendis Morionum ineptiis, & Scurrilibus jocis in publicis Diſputationibus.* An. 1626.

CUM Statutis *Academiæ* cautum ſit, ut *modeſtiam ordini ſuo convenientem omnes omnibus in locis colant:* eamque Majores noſtri præcipuè in Publicis *Comitiis* ita obſervârunt, ut Philoſophi Quæſtiones ſuas tractarent ſeriò, *Prævaricatores* veritatem Philoſophicam quâ poterant contradicendi ſubtilitate eluderent, *Tripodes* ſua quæſita ingenioſè & appoſitè defenderent, geſtibus autem *Hiſtrionicis*, flagitioſis facetiis, & ineptiis, pueriles riſus captare nuperrimi ſæculi malitioſum ſit inventum: Ad antiquam Academiæ modeſtiam & gravitatem reſtaurandam, & in poſterum retinendam, Dominus *Procan.* & Præpoſiti Collegiorum, quorum nomina ſubſcribuntur, ſic prædictum Statutum interpretantur, & interpretando decernunt; ut *Prævaricatores*, *Tripodes*, aliique omnes diſputantes veterem *Academiæ* formam & conſuetudinem in Publicis Diſputationibus obſervent, & ab hoc ridiculo *Morionum* uſu & impudentiâ prorſus abſtineant: neque leges, Statuta, vel ordinationes *Academiæ*; neque Facultatum, Linguarum aut Artium Profeſſiones; neque Magiſtratus, Profeſſores, aut Graduatos cujuſcunque tituli aut nominis, ſalutationibus mimicis, geſticulationibus ridiculis, jocis ſcurrilibus, dicteriis malitioſis perſtringere, aut illudere præſumant. Quòd ſi quis *Decretum* hoc violaverit, ipſo facto per Dominum *Procancellarium* ab omni Gradu ſuſcepto ſuſpendatur, aut incarceretur: Et ſi indignitas facti majorem pœnam meritò poſtulaverit, per Dominum *Procancellarium*

larium unà cum aſſenſu majoris partis Præpoſitorum Collegiorum ab *Univerſitate* expellatur in æternum.

JOHAN. GOSTLIN, Procan.

Sam. Ward, Sam. Collins, Jo. Manſell, Jo. Preſton, Tho. Eden, Sam. Walſall, Rog. Andrews, L. Mawe, Ow. Gwin, Hen. Smith, Tho. Bainbrigg, Matt. Wren.

CAP. L.

De Ordinationibus Collegiis omnibus præſcriptis.

SOCII, Diſcipuli, Penſionarii, & Scholaſtici ſinguli, qui nondum quadrageſimum annum attigerunt, neque ad Doctoratûs Gradum aſpirârunt, neque Præfecti Collegiorum ſunt, matutinis precibus & Loco Communi intererunt ſub pœnâ eâ, quæ in Statutis adverſus eos conſtituta eſt qui *Divino Servitio* (ut vocant) non interſint. In quibus Collegiis nulla pœna conſtituta eſt; abſentes pro ſingulis abſentiis ſinguli duobus denariis mulctentur.

Singulæ abſentiæ & tarditates à Veſperis, matutinis, & Synaxi communi Parliamenti conſenſu conſtitutâ, cæteriſque communibus precationibus, quatuor denariis mulctentur.

Tutores Pupillos ſuos doceant diligenter, convenienter corrigant; nec permittant illos ſolutè in oppido vagari.

De Migrantibus ab uno Collegio in aliud. 1732.

PLACEAT vobis, ut ſi quiſquam ſcholaris infra gradum magiſtri in artibus tranſtulerit ſe ab alio collegio in aliud, niſi prius impetratis literis ſub

ſub chirographo magiſtri collegii, decani, et prælectoris, teſtantibus de honeſtâ ſuâ et laudabili converſatione, perſolvere teneatur quinque libras collegio à quo ſeceſſerit, et quinque libras communi ciſtæ academiæ.

Againſt Shooting, Courſing, and keeping Greyhounds. 1606.

IT is ordered and decreed by the vicechancellor and heads of colleges, that if any ſcholars or ſtudents ſhall ſhoot in guns or croſs-bows, either within the limits of the univerſity or without, or ſhall keep by themſelves or others any greyhounds, or ſhall be found in the field with greyhounds, guns, or croſs-bows; every ſcholar ſo offending, upon conviction ſhall incur reſpectively according to the degrees of his offence the ſeveral penalties ſpecified in the foregoing orders for the diſturbers of publick aſſemblies.

Againſt exceſſive Drinking and Drunkenneſs. 1607.

IT is decreed by Mr. vicechancellor and the heads of colleges, upon interpretation of a part of the ſtatute *de modeſtia*, etc. * that whatſoever ſcholar or ſtudent ſhall hereafter be convicted of exceſſive drinking, drunkenneſs, or making others drunk, eſpecially in the night-time, in tavern, inn, or victualling-houſe, of what condition or degree ſoever he be, if he ſhall be convicted before Mr. vicechancellor and the more part of the heads of colleges then at home, to be an offender in any of the premiſes,

* See page 5.

miſes, ſhall with their conſent be baniſhed the univerſity; and be degraded, if he be a graduate. Others, found faulty in a leſſer degree, ſhall, if graduates, be degraded by Mr. vicechancellor during pleaſure, and alſo be ſtayed for one whole year from taking their farther degree at their time: if non-graduates, they ſhall be made incapable for one whole year of their degree, when their time cometh, and alſo be enjoined by Mr. vicechancellor to declaim openly in the ſchools againſt that abuſe.

DECREE *of the* SENATE
Dec. 20. 1721.

THAT twenty Shillings, beyond the uſual Fees, be paid to the Senior Proctor, by every one that Subſcribes in the Regiſter's Book under the Title of *Baccalaurei ad Baptiſtam*; excepting the Fellows of Kings College.

That from henceforward, every Perſon not bringing a Certificate from the Maſter or *Locum tenens* of his College, that he did on or before the firſt of February, in his fourth Year, declare to him in Writing, that he did not intend to proceed in his Bachelor of Arts Degree, ſhall before his Admiſſion to a Bachelors Degree, either in Law or Phyſic, pay three Pounds, beyond the uſual Fees, to the Senior Proctor: and that every Perſon proceeding in his Bachelor of Arts Degree, after ſuch Declaration, ſhall pay the ſame ſumm beyond the uſual Fees, to the Junior Proctor.

Orders and Regulations which paſſed the Senate on the 11*th day of May, and the* 26*th day of June,* 1750.

I. EVERY perſon *in ſtatu pupillari* ſhall wear clothes of a grave colour in the judgment of the officers of the univerſity, without lace, fringe, or embroidery; without cuffs or crapes of a different colour from their coats.

Fellowcommoners who take degrees, and ſuch as enter into fellows' commons after they have taken any degree, ſhall wear the proper habit of ſuch degree.

Bachelors of arts ſhall provide themſelves with gowns made of prunello, or princes' ſtuff.

The privilege of noblemen, or others, of wearing hats in the univerſity, does not extend to wearing of them laced. — The penalty for every offence againſt each of theſe particulars, is, and ſhall be, 6*s.* and 8*d.*

III. No perſon *in ſtatu pupillari* ſhall be ſuffered to keep a ſervant, without the expreſs conſent of his parents or guardians, ſignified under their hands to the maſter of the college to which he belongs; the ſaid maſter alſo conſenting.

IV. No perſon *in ſtatu pupillari* ſhall be ſuffered to keep a horſe, except it be for the ſake of his health, and with the expreſs conſent of his parents or guardians, given under their hands to the maſter of the college to which he belongs; and alſo with the approbation of the ſaid maſter.

XI. All members of the univerſity *in ſtatu pupillari* ſhall behave themſelves with modeſty and due reſpect to their ſuperiors at all times and in all places; and if any ſhall refuſe to tell his name and the college to which he belongs to any maſter of arts who ſhall demand it of him, he ſhall, on complaint made to the vicechancellor, be publickly admoniſhed for the firſt offence, be ſuſpended for the ſecond, and be expelled for the third.

XV. Every member of the univerſity who ſhall be found in any houſe of evil fame, either within the precincts of the univerſity or the adjacent villages, not being able to give a proper account of his being there, or who ſhall be ſeen in company with any woman of notoriouſly bad character, ſhall be admoniſhed, ruſticated, or expelled, according to the circumſtances of the offence.

Pembroke Hall Lodge, Dec. 21, 1785.

WHEREAS Complaints have been made to the Vice-Chancellor and Heads of Colleges of great Irregularities having been lately committed by Scholars reſorting to Taverns and other public Houſes; We, whoſe Names are underwritten, do hereby reſolve and decree, That any Perſon *in ſtatu Pupillari*, who ſhall be convicted of dining at any Tavern or other public Houſe, without having previouſly obtained the Leave of his Tutor, the Maſter of his College, or his Locumtenens, ſhall be proceeded againſt according to the 12th Article of the Orders and Regulations, which paſſed the Senate on the 11th Day of May and the 26th Day of June, 1750, and which are printed in the *Excerpta è Statutis*.

And

And as we do expect of the Proctors that they be diligent in executing this Decree, ſo we for our Parts are ſteadily reſolved to enforce the Obſervance of it.

J. Turner, Vice-Chan.
Edm. Carliſle,
John Peterborough,
R. Plumptre,
J. Smith,
W. Elliſton,
W. Cooke,
R. Farmer,
L. Yates,
W. Colman,
J. Barker,
J. Chevallier.

Dec. 5, 1791.

WHEREAS it has been repreſented to the Vice-chancellor, that ſome Students in the Univerſity have been obſerved ſhooting at Marks with Piſtols; an Exerciſe which obviouſly tends to introduce and promote the dangerous and impious Crime of Duelling.

It is hereby publickly declared, that if any Perſon *in ſtatu Pupillari* ſhall be diſcovered in the Exerciſe of ſo unwarrantable and dangerous a Practiſe, He will be proceeded againſt as guilty of a very high Offence, and be liable to the ſevereſt Penalties mentioned in the 42d Statute.

AFR